VETUS TESTAMENTUM, UNVOLLSTäNDIG

Entstehungsort unbestimmt, Wende 12./13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35407
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

faciemus omne malum grande hoc ut prae-
varicemur in deo nostro ut ducamus uxores
peregrinas. De filiis autem ioiada filii elia-
sib sacerdotis magni gener erat sanabal-
lath horonites quem fugavi a me. Recor-
dare domine deus meus adversum eos qui polluunt
sacerdotium iusque sacerdotale et leviticum. Igitur
mundavi eos ab omnibus alienigenis et con-
stitui ordines sacerdotum et levitarum unumquem-
que in ministerio suo et in oblacione lignorum
in temporibus constitutis et in primitivis. Memen-
to mei deus meus in bonum. Incipit prologus
compositus a Ieronimo in libro Job.

Explicit lib. II. Neemie

Cogor per singulos scrip-
ture divine libros adver-
sariorum respondere male-
dictis. qui interpretacionem
meam reprehensionemque
septuaginta interpretum
criminantur. quasi non et
apud grecos aquila symmachus theodo-
cion vel verbum e verbo vel sensum de sensu vel
ex utroque commixtum et medie temperatum
genus translacionis expresserint et omnia
veteris instrumenti volumina origenes
obelis asteriscisque distinxerit. quos vel
additos vel theodocio sumptos translaci-
oni antique inseruit. probans defuisse
quod additum est. Discant igitur obtrectatores
mei recipere in toto quod in partibus susceperunt
aut interpretacionem meam cum asteriscis suis
radere. Neque enim fieri potest ut quos plura
intermisisse susceperint non eosdem eciam in quibusdam
errasse fateantur. precipue in Job. cui si ea que
sub asteriscis addita sunt subtraxeris. pars
maxima voluminis detruncabitur et hoc
dumtaxat apud grecos. ceterum apud lati-
nos ante eam translacionem quam ab aste-
riscis et obelis addita sunt nuper edidimus.
septingenti ferme aut octingenti versus
desunt ut decurtatus et laceratus corrosusque
liber feditatem sui publice legentibus prebeat.

Hec autem translacio nullum de veteribus
sequitur interpretem. sed ex ipso hebraico a-
rabicoque sermone et interdum syro nunc
verba nunc sensus nunc simul utrumque
resonabit. Obliquus enim eciam apud he-
breos liber totus fertur et lubricus et quod
greci rethores vocant ΕΧΧΙΜΑΤΙΟΜ (emiciomenos)
ΕΝΟC. dum aliud loquitur aliud agit. ut
si velis anguillam aut murenulam strictis
tenere manibus quanto forcius presseris tan-
to cicius elabitur. Memini me ob intelligen-
ciam huius voluminis lyddeum quendam precep-
torem qui apud hebreos primus haberi pu-
tabatur non parvis redimisse nummis.
Cuius doctrina an aliquid profecerim nescio.
Hoc unum scio non potuisse me interpretari
nisi quod ante intellexeram. A principio itaque vo-
luminis usque ad verba iob. apud hebreos
prosa oracio est. Porro a verbis iob quibus ait
pereat dies in qua natus sum et nox in qua
dictum est conceptus est homo usque ad eum
locum ubi ante finem voluminis scriptum est.
Idcirco ipse me reprehendo et ago penitenciam
in favilla et cinere. exametri versus sunt dacti-
lo spondeoque currentes et propter lingue
ydioma crebro recipientes et alios pedes
non earundem sillabarum sed eorundem temporum.
Interdum quoque rithmus ipse dulcis et tin-
nulus fertur numeris legere solutis. Quod
metrici magis quam simplex lector intelli-
gunt. A supradicto autem versu usque ad finem
libri parvum comma quod remanet prosa oracione
contexitur. Quod si cui videtur incredulum me-
tra scilicet esse apud hebreos et in morem nostri flac-
ci grecique pindari et alchei et saffo vel psal-
terium vel lamentaciones ieremie vel omnia
ferme scripturarum cantica comprehendi legat
philonem iosephum origenem cesariensem
eusebium et eorum testimonium me verum dicere
comprobabit. Audiant quapropter canes mei
idcirco me in hoc volumine laborasse.
non ut interpretacionem antiquam reprehenderem
sed ut ea que in illa aut obscura sunt aut